

Bischof Nicolaus von Merseburg ertheilt für seine Lebenszeit der Universität die Gerichtsbarkeit in Disziplinar- und Strafsachen (ius incarcerationi). **Merseburg, 1419 Juni 25.**

Hilscr.: Or. Perg. Archiv der Universität No. 4 mit dem sehr gut erhaltenen Siegel an Pergamentstreif.

Nicolaus dei et apostolice sedis gratia episcopus Merseburgensis venerabilibus et 5
circumspectis viris rectori, magistris, doctoribus | et scolaribus alme universitatis studii
Lipczensis nostre diocesis salutem in domino sempiternam. Cum ea que profectum et
commodum | personarum studiis et scientiis inherentium concernunt libenter prout ex
pastorali nobis incumbit officio annuimus, et non solum personis | huiusmodi verum
etiam loca ubi huiusmodi pollent studia specialis defensionis munimine gratis et liber- 10
tatibus honoramus, sane nuper pro parte vestra nobis rationabiliter fuit expositum quod
sepius contingit, diversas inter membra dicte universitatis ac alias personas oriri dissen-
siones, perturbationes et rixas ac exinde etiam nonnullae et plurimae inferuntur offensiones
et iniurie ac interdum committuntur excessus et crimina, vobisque difficile sit pro singulis
excessibus ad nos habere recursum, nobisque pro parte vestra extitit humiliter suppli- 15
catum, quatenus super hoc paterna diligentia providere ac vobis carcerem sive custodiam,
in quibus membra dicte universitatis qui (*sic*) pro tempore delinquerint punire et castigare
poteritis concedere et indulgere dignaremur. Nos igitur ex certis causis animum nostrum
ad hoc moventibus, vobis carceres et custodiam huiusmodi per vos in loco honesto et de- 20
centi eligendos super hoc habito maturo consilio duximus concedendos ac tenore pre-
sentium vobis rectori universitatis dicti studii pro nunc existenti et vestris successoribus
de speciali gratia indulgemus, ut vos et vestri successores possitis et valeatis scolares
dicti studii, qui delinquerint tam in levibus excessibus quam in maioribus criminibus,
apprehendere et incarceratione sine metu excommunicationis seu alterius sententie si sco-
lares huiusmodi etiam sint clerici et in sacris ordinibus constituti, salvo tamen si crimina 25
sive excessus huiusmodi talia sive tales forent, que et qui ad nostrum spectarent examen
volumus in nullo preiudicari. Volumus etiam presens indultum solum ad tempora vite
nostre dumtaxat esse valiturum et post obitum nostrum in nullo successoribus nostris
preiudicium generare. Datum Merseburg anno domini mcccc decimo nono in crastino
sancti Iohannis gloriosissimi patroni ecclesie nostre, sub sigillo nostro presenti- 30
bus impenso.